



E P I C U M

Quod

VICTORI

JESU CHRISTO

SACRUM.

VOLUIT

THOMAS LEBT.

ZELTERUS Ulmâ-Suevus.



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Richteri.

Anno M. DC. XVI.



Lit. Lat.

rec. A.

386, 26.

II 13.



*Spectatissimo, Prudentissimo, & Integer-
rimo Viro*

**Dn.. Thomæ Lebtzeltero Sena-
tori & Mercatori Lips. facile Principi:**

NEC NON

Trigæ ornatissima juvenum,

Dn. VVolffgango }
Dn. Christophoro } Lebtzelteris;
Dn. Jacobo }

*Illi studiorum meorum Patrono Magno, panè & Patris
nomine singulariter suspiciendo; His Optimi Patris
optimis filijs, & Fautoribus itidem MEIS
colendis, amandis,*

**Hoc, quale-quale animi grati signum,
Dedicare,**

Volui, quia debui

Thomas Lebtzelter.





S At Mutæ, Tacitæq; datum: solennis habetur
Ista dies, cunctos quæ sufficit omnibus una
Lætitiæ numeros. Quin nos solvemus in omnem
Pectora lætitiæ faciem. VICTORIA VICTO
Cessit, quiq; fuit Mortis, jam Curio vitæ
Expectatus adest, ultrò & plangentibus offert
Sese animis CHRISTUS, cui lux hodierna triumphum
Consecrat, & plenis adolent altaria votis.

Salve Victricis pompæ mihi gloria: mortis
O Mors præteritæ; O vitæ spes sola futura.
Tu mihi carmen eris, nostri tibi carminis ordo
Texitur; ipse mihi numeros, mentemq; supremam
Inspira, atq; animo fallaces elue Curas.
Et quis enim, quis nostra tuis favor oscula plantis
Junget, & augustas securum sistet ad aras?

Ergò agite, huc quotquot sacro mens incitat œstro
Victorem celebrare DEUM, plectrumq; Camœnæ
Per laudes variare DEI. Juvat ire per omnes
Ingenii sedes, juvat indulgere laborem
Solenni Festo, quo se pia Gratia cœli
Jactitat, aut potius quo nos jactamus ob illam:
Cui meritò annales laudum cumulamus acervos.

Vestrūm erit inde sequi, vobis ego verba præibo.
 Sed quā fronte loquor? vel quo moliminis orsu
 Tantum opus adgredior? nequicquam hīc auribus omnes
 Aucupium facitis, frustra in me vertitis ora.
 Magnificis, fateor, sunt ora minora patratis;
 HEROESQUE ANIMI HEROOSUNT CARMINE DI-
 Non ego quale decus Cyrrhæi ignobile vatis, (GNI:
 Quale vel insulsâ repetit stribligine Mævij
 Spiritus, eructans maleolentis murmura vappæ.
 Eloquar? at grandes robusti carminis offas
 Proiicere, & dulci sermonis edesmate mentes,
 Nectareoque thymo Phœbus satiare negavit.
 An fileam? Pietatis amor vetat inde. Quid ultra?
 SCILICET, audendum est aliquid, *non ultima laudis*
Puncta meret solidis præsens audacia votis.
 Quo jubar Eusebies, & non-spernenda verendi
 Officii præscripta jubent, mihi tutius itur.
 Vos Ergo ante alios docti Quos ipsa senatûs
 Publica cura manet nitidis Quos fama quadrigis
 Jam super aeriam supremi luminis oram
 Celsius evector totideprædicat Orbi:
 Quos vel adhuc etiam melior DEAPALLAS amavit,
 Et nostræ voluit testes adhibere Camœnæ,
 Hic faciles sitis; veniam non præmia posco.
 Dum solenne minus-solenni carmine Festum
 Macto lubens, tantum plebei Carminis author.
 Sed qui primi aditus? quæ prima exordia sumam?
 Distrahor, atque animi dubius super omnia verfor.
 Hinc me læta trahunt CHRISTIVEXILLA; sed inde
 Impellit teneri facies gratissima mundi.
 Annus jam puer est, & amœno sideris ortu
 Lactantes, *Mundi pictorem*, comminus HORÆ

Ver

Ver genitale vocant, V E N U S it, prænuncius unâ
 Blandior it V E N E R I S Zephyrus, quos ante venusto
 Dædala pingit humum gradiens per cuncta viâi
 F L O R A satû, passimq; halantia germina fundit,
 Hortenses pictura toros, pastura venustis
 Deliciis oculos, & odoro flumine nares.
 Omnia nunc ridere putas; Fuit algor & imber.
 Flexanimos (audin?) exercet acredula cantus.
 Quid nos, queis vernæ pectus quoq; Spiritus auræ
 Suscitât? admoniti, sub verni scilicet omnes
 Temporis accessu vetus arte novare melifina,
 Quale C H A R I S sapiens Salomoniam Svada prævit:
 M A X I M U S I N N O S T R O J A M F L O S A P P A R U I T A G R O .
 Stirpis Jesseæ, cœlestis & indolis idem est.
 Hic campi F L O S est, hic vallis utrinq; reductæ
 Lilioli Candor, veris quod semper amœnum
 Occupat ingenium, cui nec natura caducos
 Præcipitat flores; hinc vitæ fluctus odorum
 Voluitur æternæ: trahite in pia pectora dudum,
 Quisq; sacrum hunc: totus fierem, si libera detur
 Optio, jam Nasus, tanti quo muneris usum
 Participare queam. Flos florum ó nobilis! an tu.
 Blande geris Magni F L O S Numinis argumentum?
 Sic est: aulæum modò fas sit tollere, & intus
 Illustri sub Sole mei postscenia sensus
 Prodere, F L O S C H R I S T U S, N O S T R Æ S P E S M A X I M A
Filius ille D E I, ille hominis quoq; Filius idem. (VITÆ.
 Qui medios inter, scelerum quasi pompa, latrones
 Stipite suffixus, quem diro ad tartara missum
 Funeris exemplo, radiatum insigne diei,
 Prodigiale rubens, pullati sformatis umbrâ,
 Astrivago comitante choro, S O L visus ademptum

Deflere, & toti luctus indicere cœlo.
Inde solum involvit tenebris, hominesq; coëgit
Desperare diem, & cœli sperare ruinam.
Quem vigil & Miles Saxosâ mole sepulcri
Oppressum penitus jam jam servare putavit;
Hic hodie invitis vel omnibus EXURREXIT.

Non aliter violæ jucundæ purpura blandum
Inclinare caput, pluvius quando ingruit imber,
Cernitur; at postquam melioris origine Solis
Desuper incaluit, veteris revocatur amœnum
Floris ad ingenium, lætisq; triumphat in hortis,
Dulcia sufficiens avidis spectacula ocellis.

Vix Matuta novum viduo CRAS protulit orbi
Tertia, ubi rigidi CHRISTUS retinacula faxi
Effugit, domitorq; Necis vexilla levavit;
Ut miserâ functos jamdudum morte, salutî
Primitius reduces insuesceret ire sub auras.

Vicimus, ô focii, & pugnam pugnavimus acrem:
Dixeris Orcino, victor, redivive, barathro.
Trux Inferne, proterve Inferne, Maligne Inferne,
Nunc ubi laus? ubi fraus? ubi nunc ubi Gloria Mortis?
Lurida MORS, MORS improba, Mors truculenta, jacesne?
Dens ubi? Mens ubi? victa jaces. Quid ringeris intus?
Ille triumphavit tibi qui fuit ante triumphus.
Pulcri homines, ast hic omnes pulcerrimus anteit,
Florida melligenis cui vernat Gratia labris,
Divinumq; decus, quem sic Æternus honestat,
Et cupit æternis hæc sint sibi propria seclis.

Progredere, ô victor, meritaq; accingere laude,
Atq; ostende palàm Dux quantus in arma patefcas.
Scande triumphalem benè rem gesture curulem,
Cui frenos auriga regit (mirabile!) VERBUM.

Ante

Ante trahunt VERUM, JUSTUM, & CLEMENTIA currum,
Undiq; certatim Victori adplaudere turba,
Circumfusa ruit Christo; vox omnibus una est:
MAGNE TRIUMPHE VENI: resonant cuncta locorum,
Magne triumphe veni, Mundi melioris origo.

Progredere ô victor lætus, bipatente recessu
Valuarum auratis intus-penetrabile renidet
Liminibus, spissoq; hominum spectante theatro
Incluta perpetuæ feruent sacraria Famæ.

Progredere ô victor lætus: tibi Tartarus ingens
Serviet, & toto surget Pax aurea Mundo.
Te DUCE vel magni regimen SOL lætior orbis
Ibit, & æternos faciet procedere menses.
Ipse DEI accipies Numen, sceptriq; potestas
Robur alet nullis passurum incommoda seclis.

Fallor? an adversos nequicquam audacius hostes
Tendere jam video, (nec enim tam mascula VIRTUS
Hostili caret Invidia) quos Entheus author
Jam superare vales, propriisq; excludere regnis.
Ipsa catenata trahitur tristissima Mortis
Terrificæ species, manibus post terga revinctis.
Undiq; quam mœsto circum pallentia centum
Secula morborum tentant molimine gressus.

Non procul hinc vitium vinctum stridentibus ære
Ex solido nodis timido exitiale rotatu
Voluitur, & quoties victoris signa videntur,
Ingeminat, vultumq; DEI ad suspiria ducit,
Ad latus Insidiæ comitantur: flebile fatum,
Huc Erydos spectare licet, cui multa cicatrix
Ora notavit hians passim liventibus offis.
Illinc Blanditiæ convexo poplite, & illud
Turpe voluptatis nomen vestigia torquent.

Ponè sed à tergo pravi Mens conscia facti
Indivisa Comes passus metitur inertes.
Rifus abest, vario labefactaq; vulnere nutat
Huc levis atq; illuc, momentaq; sumit utroq;,
Et cupit, & quid agat non invenit, utq; securi
Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat,
Quo cadat in dubio est omniq; à parte timetur.
Non aliter dubiis hæc fluctibus acta malorum,
Nequicquam stabilire situs potis inter utrunq;
Adtrepidans lento gressus protollere nisu.

Quo feror? aut quisnam stridor novus impulit aures?
Quis sonus hîc ferri? vel quæ plangentia latè
Robora vincloꝝ? trahitur nigra Regia DITIS
Huc captiva suis (quotquot fovet illa) manipulis.
Cernitur ipse Orci, siculâ cum conjuge, supplex
Rex Pluton, sequitur quem cætera turba, Pyragmon,
Centauri genus invisum, Scyllæq; bifformes,
Hydræq;, Harpyjæq;, Colubrigeræq; Sorores;
Innumeræ pestes Erebi, pro crinibus angues
Nexantes nodis sese, ac per colla plicantes
Omnibus in torti pendent; jamq; ipse trilinguis
Janitor immani stygius quoq; Cerberus antro
Extrahitur, frustra exsangues qui territat umbras
Æternùm latrans ad limina dura Tyranni.
Nec quicquam nisi vulnus hiat, fluit imbre cruento
Informis facies, collisi dira cerebri
Fragmina letiferam per colla triformia latè
Eruçant saniem, tabo madet undiq; tellus.
Inunc, atq; tuis homines terreto tenebris,
I vano percelle metu dirumq; minare
Cerbereq;, & tristis Furiarum ternio, Pluton,
Inunc sulphureos eruçantans faucibus ignes.

Tuq;

Tuq; , agè, Mors intende minas, agè, corripe dirum
 Improba, millenisq; imbutum cædibus Ensem,
Quod bene sit! Melior cecidit res; Mortua Mors est
 Et spoliata suum queritantur Tartara Regem. (METUR
 NON MORS ULTERIUS SED MORTIS LARVA TI-
 Quisquis es huc huc flecte oculos ad lumina Christi
 Nempe resurgentis. Gaude nunc omnis; at illam
 Gaude lætitiã, quam spiritus auctor ab alto
 Sufficit humanis. Cœlis gaudentibus orbem
 Ad gaudere decet. Gaude, quã flammeus Æthon
 Egressu rutilat cœlum, quãque axe citato
 Emeritum rapido currum tramittit ibero.
 Læta novo REGI tellus grate tur, & Aër
 Ad plausu. Nostra est: nostra est ea gloria, CHRISTUM
 SURREXISSE HODIE. Nobis Homo factus, ab Orco
 NOBIS SURREXIT. NOBIS, HOMO-DIVE, TRIUMPHAS.
 Serva triumphantur VITIUM, MORS IMPROBA, ET OR-
 Dicite iò Pæan, & iò bis dicite PÆAN. (CUS
 Serva triumphantur VITIUM, MORS IMPROBA ET OR-
 Surrexit CHRISTUS diro redivivus ab antro: (CUS.
 Nostra resurgenti Pietas adsurgat, & uno
 Supplicio vexilla DEI victoris adoret.
 Qui rigidum Sathanæ Jus, & crudele triumphas
 Omnitrahæ imperium Mortis, TIBI sacra litamus,
 Qua Fidei calet ara sacra, tua turba; potenter
 Adfere vindiciis TIBI nos, quos sacra beato
Sanguinis adscripsit preciosi purpura regno.
 Exsere victores animos. Rubrica Latinæ
 PERSEPHONES inimica TIBI nos turbine cæco
 Obruere, & nostro (cernis?) de viscere fartum
 Cogere jam satagit, rabies quod dira palati
 Hostilis penito gaudet merfare barathro.

Hinc magnam sese fecit Jesvítica Virtus,
Inpavidoq; crepat Bella-arma-minasq; Luthero:
Et quibus accensos Constantis imago Lutheri
Ventilat igniculos, imosq; in corde recessus
Enthea fax nullis tenebris obnoxia lustrat.
Quin diras belli facies excludere gestit,
Vanicrepisq; logis juvenili alimenta furori
Suppeditans Reges discordi flamine librat.
Nec tantum terrena soli diro impete foedat
Pondera, sed templum, Domini venerabile templum,
Dogmatis effati Joviâ spurcare Mephiti
Non dubitat, foedoq; operum temerare veterno.
Surge, ad flige solo, quos impius error in acres
Ex stimulat flammis: tutas nunc adfere sedes
CHRISTE tuis; Furias prohibe, infensosq; maniplos.
Sic Tibi lætisonum grati pæana canemus.

Interea quoq; nos surgamus ad optima tecum.
Quisquis es hic nostri celebrans solennia Festi,
Purga animi mores, & dignum te quoq; CHRISTO
Finge Tuo, Scelus omne, atq; omnis culpa, reatus
Omnis, fac, tecum moriatur, & inde resurgas
Indutus facies alias, atq; altera corda,
Candidus, & pulcram spirans de pectore lucem,
Hæc solenne Sacrum festi deposcit. *Iniquum est
Cælis Civem profiteri & vivere Mundo.*

At Tu, qui victor spolia inter opima triumphans
Surrexisti nullis prohibentibus, inclute Victor,
Sæpius his animis surgas, & blandior omnes
Aspicias oculis. *Quem non aspexeris; illum.*
Nec DEUS hic templo, nec ibi dignatus Olympo est.

ILICET; at vox est votorum hæc ultima: FIAT.

F I N I S.

Lit. Lat. rec. A. 386, 26.

